

modernum in concilio provinciali statuti accurtationem nec non alterius competentis denegationem, habitus nostri mutationem aliorumque supradictorum iniustam violationem adiiciendo ad regulam nostram ultra ea quae in primaeva foundatione posita sunt in eadem, quae singula coniunctim et divisim non congruunt monasterio nostro quovis modo eaque post maturam deliberationem invenimus per nos recipienda non esse eaque non recipimus, de quo protestamur per praesentes sensimusque prout et hodie sentimus nos coniunctim et divisim ac monasterium nostrum in supradictis gravatos esse timentesque in posterum per eosdem plus posse gravari minus iuste, ideoque ab huiusmodi eorum iniquis et perniciosis ausibus factis praetensis acceleratione nimia et mandatis eorum exorbitantibus nimis et contra eos omnesque alios sua interesse putantes ad sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Nicolaum papam quintum et eius sanctam sedem apostolicam in his scriptis provocamus et appellamus apostolosque petimus primo secundo et tertio instantanter instantius et instantissime, si quis sit qui eos nobis dare velit et possit cum debita reverentia et iuris instantia vel saltem litteras testimoniales a vobis notariis publicis ut personis authenticis nobis dari et tradi petimus, subiciientes nos communiter et divisim monasterium nostrum nec non adhaerentes et adhaerere volentes omnia bona nostra praesentia et futura atque statum nostrum specialibus protectionibus defensionibus et tuitionibus dicti sanctissimi domini et patris nostri et eius sedis sanctae, salvo iure addendi emendandi corrigendi insinuandi publicandi prosequendi &c. ut est moris et stili temporibus et loco congruis et oportunis. Qua quidem appellatione sic ut praemittitur facta lecta et interposita praememoratus dominus praepositus ipsius et monasterii sui nominibus nos notarios publicos infrascriptos debita cum instantia requisivit, quatenus sibi super praemissis unum vel plura publicum seu publica conficeremus instrumentum vel instrumenta. Acta sunt haec anno indictione pontificatu die mense horis et locis quibus supra, praesentibus ibidem discretis viris Simone Lindener de Lißnig, Gregorio Weßnig de Kirchayn, Petro Gruwel et Johanne Hammer clericis et laicis Misnensis Magdeburgensis et Nuynburgensis diocesium testibus ad praemissa vocatis rogatis pariterque requisitis.

Et ego Petrus Sehusen de Lipzck clericus Merseburgensis diocesis publicus sacra imperiali auctoritate notarius etc.

Et ego Petrus de Harra clericus Bambergensis diocesis publicus sacra imperiali auctoritate notarius etc.

Nach dem Registrum copiarum fol. 137^b im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 239. 1452. 27. Apr.

Agapitus Cincii de Rusticis utriusque iuris doctor canonicus basilicae principis apostolorum de Urbe domini nostri papae capellanus et ipsius sacri palatii apostolici — causarum causaeque et partibus infrascriptis ab eodem domino — papa auditor specialiter deputatus *erlässt auf Grund des in Appellationssachen des Thomasklosters zu Leipzig (No. 238), des Petersklosters auf dem Lauterberge, des Marienklosters vor Altenburg und des Afraklosters zu Meissen*